

1356
*Lodovicus
 Rex, exeun-
 te inducia-
 rum tempo-
 re, Dalma-
 tiam & Ita-
 liam uno
 tempore in-
 vadit.*

Vallem Marinam, quæ Veneto imperio Phalerii morte cesserat, primus Prætor est missus. Verno hujus anni tempore (quia vulgo ferebatur Lodovicum Pannoniæ Regem in Venetos bellum comparare) Marcus Cornarius, & Marinus Grimanus ad eum in Pannoniam sunt missi. Nec ita multo post, quia nihil apud barbarum pacati invenerant, domum re infecta redierunt. Causam regii in Venetos odii, navigia illi in Italiam adversus Joannam Reginam copias trajicienti a Venetis denegata, apud quosdam reperio: sed plane constat, illum circa Jaderam Venetis armis prius victum, quam bellum ullum in Italiam molitus esset. Arma ab eo tum primum illata ob Jaderensem causam haud dubie traditur: verum sive hæc, sive illa quam nonnulli celebrant, causa fuerit (nam de hac re nihil quod alioquin affirmare possim, compertum habeo) satis convenit, publice legatos ad barbarum in Appuliam missos: qui cum eo inducias in octo annos, ut quidam tradunt, ut alii, in decem, pepigere. Sub initium vero Ligustici belli (quanquam induciarum tempus nondum exierat) cœpit ille nomen Venetum ob Dalmatiam infestare: apparebatque continuo arma illaturum, nisi Caroli Quarti interventu injuria abstinuisset, a quo jussus induciarum exitum expectare, in hos dies bellum distulit. Quod ipsum quia Patres manifeste imminere videbant, causam fuisse arbitror, quod cum Genuensibus pacem maturavere, quam illis petentibus antea obstinatis animis negarant, ut Ligustico bello levati, aliud nihilo levius eo quo defuncti essent, fortius exciperent. Quidam annales habent, potuisse a Cornario & Grimano legatis tum quoque bellum averti, si Regi annum tributum equum album publico nomine ob Dalmatiam se daturos polliceri voluissent. Quod Venetis, ne jure in provinciam quaesito decederent, recusantibus, abeunte induciarum tempore, sine alia belli denunciatione Dalmatiam ille tumultuose invasit. Feruntque tantam barbarorum multitudinem primo ductu in ipsam terram ab eo effusam, ut uno tempore Jaderam, Sicum, Spalatum, Tragurium, Eno-

nam-